Reverendissimo Dno Nicolao ab Amsdorff
Episcopo Numburgensi, viro praestanti pietate
et doctrina, patrono suo colendo.

S. D. Reverendiss: domine. Rediit praeceptor ve-
ster nepotum Martinus Frisius, ac adolescen-
tes ad usitatam assiduitatem revocat.
Meam operam libenter saepius in emendatione
scriptorum et explorandis eorum studiis eis
impertirem, si saepius ad me accederent. Cum
autem iusserim eos crebro venire. Et norunt
quae habeam tempora, minus occupata.
Quare tu quoque praecipias eis, ut et scribant sae-
pius, et emendationem meam postulent.
Me hactenus lites tutelae heredum doctoris
Christanni detinuerunt. Et aliud negotium
ex alio incidit, ut coram aliquando exponam.
Scio caeterum statum R. D. T. satis molestum
esse, Sed haec nostra castra profecto etiam
plena sunt sollicitudinum. Aiunt Iulium

afferre ab Imp: literas ad certos principes,
ut sumptis armis inducant eum in dioecesin,
Si patriae suae bellum inferre curavit, magis
erit Iulio Caesari Tyranno, quam Episcopo
similis. Deum oremus, ut dissipet con-
silia impiorum qui bella volunt. Bene et
feliciter vale. Die. 16. Novemb:

Philippus Melanthon.

Eximia pietate et doctrina praedito,
Viro nobili D. Nicolao Amsdorfio
Episcopo Ecclesiae Magdeburgensis
amico suo Cariss:

S. D. Georgium fratris mei filium commenda-
vi Magistro Martino Frisio, quem bene
novi, ac consilii mei causas habui praeci-
puas quod ille plurimum latine loqui solet,
et scholasticos latine loquentes habet,
et quod est in dialectica diligens et dexter